



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Caput VI. Quomodo præfatus Prior Deum timuerit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

fenſit & permifit. Denique in tantum quieti deditus erat , ut ſtrepituoſam actionem , & præcipuè vocum clamores multum abhorret , ita ut infra Monafterij ſepta carpentariorum , fabrorum , & ſimilium , quorum opera cum ſilentio peragi minimè potuerunt , ſolummodò ſonus audiretur. In tantum etiam idem Prior moribus fuit adornatus , formæque decorus , ut ſi quis ignotus ad interficiendum eum , vel aliter nocendum , juramenti votum emiſiſſet , puto nihil ei nocuiſſet , ſi ſaltem ante illatum malum vultum ejus conſideraſſet.

C A P U T VI.

Quomodo præſatus Prior DEUM timuerit.

Fuit etiam præmemoratus Prior homo timens DEUM , in ipſum confidens , quod in ſequentibus clarè patet. Nam ex eo , quòd in temporalibus bonis multum defecit , non habens , unde Divinum opus bono moderamine complere poſſet , putavit , quòd diebus celebribus , maximè tempore meſſis in ſubſidium ſui reformandi Monafterij aliquantulum poſſet extrinſecus laborare , & idcirco multum de fæno celebribus diebus ex campis Monasterio ſuo cum curribus adduci fecit , & in congeriem magnam ſub diò propè turrim poni. Pius autem Dominus , qui diem Feſtum celebrandum inſtituit , devoto ſuo Vicario , quantum in mandati ſui transgreſſu deliquerit , evidenti ſignò declaravit ; unus namque de Clericis ſuis nomine Remboldus ſuper acervum prædicti fæni in ſublimi ad componendum ſtabat , & minùs cautè ſtandò ſe cuſtodians horribilem caſum ad terram fecit , cùmque ab omnibus , qui huic ſpectaculo præſentes erant , de vita illius deſperatum fuit , oratione à Priore prædicto humiliter ad DEUM fuſa , ſtatim is , qui mortuus putabatur , ſurgens ad priſtina ſua opera ſanus eſt regreſſus ; Acervus verò prædicti fæni , quia diebus ſacris vehendus collectus fuit , ab intùs putreſcere cæpit , & ad nihilum eſt redactus. Duobus hiſce narratis , videlicet , quia mortuus revixit , & fæna perièrunt , Prior ſe culpabilem cognoscens dies celebres à ſuis ſubditis majori diligentia inſtituit obſervari. Quod & ita factum eſt. Et quòd idem Prior in Dominum DEUM confidens fuerit , hæc , quæ ſequuntur , declarant. Quadam vice , dum ipſe

ipse cum Fratribus suis in sylvâ ligna jam succisa in unum componere vellet, contigit, ut lignum satis grande improvise super conversi cujusdam manum nomine Henrici Krulenberg laberetur, ita ut eadem manus velut in pressurâ gravi teneretur, dùmque Conversus clamandô horribilem sonum faceret præ dolore, quem sentiebat, hi, qui præsentés erant læsam manum de prelo eruebant, & ecce! manus ista velut mollis cera in amplitudinem pressa nullum rotunditatis signum in digitis ostendebat; Prior verò præmemoratam manum apprehendens, singulos ejus digitos fritilandô reduxit in rotundum, ac eandem manum scapulari dicti Conversi involvens, sanctum MEINULPHUM pro sanitate ipsius inclamavit in hæc verba dicens: *Sancte Meinulphe, ora pro nobis, quia tali manu, quæ jam læsa est, pro Monasterij tui reformatione nequaquam carere possumus;* Et ecce! in virtuosæ orationis signum supradictus Conversus læsam manum alterâ die sanam recepit.

C A P U T VII.

Quòd prædictus Prior propter humilem sui Conversationem à suis subditis timebatur & amabatur, voluitque eos sibi simpliciter obedire.

Hic dilectus DEO Prior omnem familiaritatis notam cum suis subditis habere devitans ita rigorosum, apparatusque gravem se se coram Fratribus ac Laicis exhibebat, ut nullus ex ipsis levitatis verbum, aut quidquam regulari disciplinæ, vel bonis moribus contrarium præsenté Priore ausus fuerit ostendere. Et per hujusmodi factum tam Fratres quàm Laicos ad sanctum timorem celeritèrque obediendum incitavit, ita, ut omnis nociva libertas, & cervicosa audacia, quæ claustralem vitam velut tinea panni ad suam destructionem corrodens demolitur, locum sub hoc Priore nequaquam habere potuerint. Nam iste Prior in observandis tam in se, quàm suis multùm fuit rigorosus, & sicut in observandis erat exemplaris, ita subjectos suos observanda voluit observare. Talem etiam in conversatione suâ universis se exhibuit, ut non solùm à suis amaretur, sed & laudabiliter timeretur. Et quis tam dilectum DEO Virum non amâisset, qui strenuus disciplinæ amator absque reprehensione